


05
A
1993



Q. D. B. V.

27

NECESSITATEM CURA TORIS IN ACTIS MULIERUM,


Sub PRÆSIDIO

DN. JO. HENRICI BERGERI,
JCti & Antecessoris, Curiæ Electoralis,
Scabinatûs & Facult. Juridicæ, Judicii q;
Ducalis, qvod in Lusatiâ inferiore
est, Assessoris

D. XXI. April. MDC LXXXVI.
publicè exhibet

GIDEON SIEGEL,
Eybenstochio - M.

AUTOR.



WITTENBERGÆ,

FORMIS MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.
ANNO CLX LXXXVI.

Л. А. 9
И. С. М. Г. А. Т. Г. С. Г. Е. Н.
А. П. О. А. И. Г. И. Р. И. Г. О. Т. А. Й.
М. Д. И. Е. Я. І.

С. П. А. С. А. Д. А. С.

Д. Н. И. О. Г. Е. Н. Р. И. Г. Б. Е. Р. И.
Л. Г. А. С. А. Г. Е. Г. О. Г. О. Г. О. Г. О. Г.
С. А. С. П. И. А. Г. И. С. А. Г. И. С. А. Г. И. С. А. Г.
Д. Н. Г. Е. С., д. в. о. д. и. Л. М. Ф. Т. И. Д. И. С. И. О. О. О.
С. А. Г. Е. С.

Г. С. К. А. А. Д. Г. А. А. Д. Г. А. А. Д.

С. А. Г. Е. С.

Д. Н. Г. Е. С. М. О. Д. Г. Е. С.

Б. А. С. А. Г. Е. С.

С. А. Г. Е. С.

С. А. Г. Е. С. А. Г. Е. С. А. Г. Е. С. А. Г. Е. С.

С. А. Г. Е. С.

С. А. Г. Е. С. А. Г. Е. С. А. Г. Е. С. А. Г. Е. С.

С. А. Г. Е. С.



LECTURO

S.

Itulus monstrat, mibi heic
um materiâ Curæ mulie-
bris, quâ latè patet, nego-
tium non futurum ; Est
hæc ab aliis jam exacta
dudum, nec patitur se his quidem can-
cellis protinus concludi. Necessestatem
duntaxat adhibendi Curatoris & qua-
tenus præsertim in Foro Saxonum eum
adscisci oporteat, exequar, cùm vide-
rim, eam partem dignam utiq; quæ
pressius nonnihil, ac vulgò fit, exhi-
beatur. Tu verò ex spe conceptâ cen-
sebis ita, ne meæ hîc memet operæ pige-
at ; Imò verò eam tandem examini E-
ruditorum submisso defendisseq; ut
est propositum, hactenus sat est.

A 2

APH. I.

APH. I.

Nterest autem ipsis auspiciis Jura, qvæ hanc in rem extant, à priscis temporibus repetere. Prostata apud Demosthenem orat. *adversus Nearam Lex Attica*: *Si uxorem dimiserit, dotem redditio, ni reddat, in novem obolos menstruos fenus pendito, adversus eum in Odeo de victu uxoris τῆς γυναικὸς τῷ νυγίῳ i.e. illius tutori actio dator*; Certissimo indicio, dotis causâ tutorem datum fœminæ fuisse; Imò verò non illi tantum, sed & aliis negotiis obeundis datus fuit. Disertè Dion Prusiensis orat. *περὶ ἀποστασίας*: *Mulieri apud Athenienses contrahere non licet*, & Isæus Orat. *de Aristarchi hereditate*: *Lex expressè prohibet fœminæ pacisci*, uterqve addit: *nisi usq; ad modium hordei*, cuius pretium definit Demosthenes Orat. *πρὸς Φαῖνιτην*. Nil hīc adeo ursit Tiraqvellum, qvare pro unā medimno sex substitueret. Enimvero extat apud Isæum: *πέρα μεδίμνων*; At Meursius ex Harpocratōne eū emendavit *πέρα μεδίμνης*. Id verò ex vocabulis *σύναλλάσσειν*, *συμβάλλειν*, *διαθῆναι*, qvēis utuntur laudati Græci, palam est, Legemde Contractibus loqui; Etsi eam ad ultimas Voluntates porrectam fuisse vel ex Isæo apparere possit. Saltem ad eas coarctatam, ut S. Petitus censuit, omnino improbabile est. Igitur, ut rem tangam, mulier Græca neglecta lege nil egit, urgente vel solā verborum Legis vi. Sed & conjunxit cā in re uterqve & Dion & Isæus Mulierem cum Impubere, alter etiam à judicii imbecillitate rationem insinuat. Non multum hīc divagabor, Tutela hæc Atheniensium propria, an aliis itidem Græcis communis extiterit; Eisi postremum vel solus Tullius *pro L. Flacco adversus Decianum* persuadere poterat.

APH. II.

Lege XII. Tabb. eādem de Tutelā cautum Contius, Marciilius & Rittershusius adstruunt; Id tamen sive ex Tullio *pro L. Murrenā* sive ex Ulpiano *in fragm. vix colligas*. Probabilius est, ex Moribus Græcorum ad Romanorum mores Mulierum tutelam traductam: M. Porcius Cato *in Orat. pro L. Oppia apud Livium Lib. 34. c. 2.* Majores nostri nullam ne privatam quidem rem agere fœminas sine autore voluerunt: *in manu esse Parentum, fratribus, vi-*
rorum

orum : Huic contradicens Tribunus plebis L. Valerius ait : *In vestro arbitrio suum ornatum quam in Legis malunt esse & vos in manu & tutela, non in servitio debetis habere eas & malle patres vos aut viros quam dominos dici.* Nec minùs Cicero pro L. Flacco : *Tutor his rebus Graecorum legibus adscribendus fuit.* Ex quibus locis tantisper originem rei, quam dixi, arguere possis. Cæterum ad rem ipsam insigniter pertinet idem Tullius pro Murenâ : *Mulieres omnes propter infirmitatem consilii Majores in Tutorum potestate esse volauerunt, hi (Icti formularii) invenerunt genera Tutorum, quae potestate mulierum continerentur, quem ad locum v. Cujac. 7. O. II. Hotom. 3. O. 16. Cui concinit Boëthius in Top.* *Mulieres antiquo Jure tutela perpetua continebat, recedebant vero a Tutoris potestate, quae in manum viri convenerunt.* Ulpianus suo etiamnum seculo I. II. *Tutores constituti, restis est, tam masculis quam feminis, sed masculis quidem impuberibus duntaxat propter aetas infirmitatem, feminis autem tam impuberibus quam puberibus & propter sexus infirmitatem, & propter forensium rerum ignorantiam.*

APH. III.

Et vero itidem ipso Jure Acta mulieris Romanæ absque tutore nulla esse vel ex Livii loco laudato evincitur. Facit Augustinus ad Ecditiam Epist. 199. quæ extat can. 4. C. 33. q. 5. Nihil ergo de tuâ ueste, nihil de tuo auro vel argento, vel quamcunq; pecuniâ aut rebus ulla terrenis sine arbitrio ejus (scil. mariti) facere debuisti ; Quo argumento simul animadvertis, ex sententiâ Edicti de Minoribus mulierem ex Contractu autore Tutore initio læsam restitui, præsertim cum & Ratio Edicti l. i. d. Min. ad mulieres ab eodem Ulpiano referatur l. 2. §. 2. ad SC. Vellej. & illæ cum Minoribus conjungantur subinde. Et quid vetat beneficium interpretatione ad pupillos Tutoribus autoribus contrahentes. C. si tut. vel Cur. interv. immo aliquos quoscunq; Curatores habentes l. 8. §. 1. l. 11. d. reb. eor. qui sub tut. extensum, & ad mulieres porrigi ? Quo de hâc obiter. v. eleg. Magnif. Dn. Jacobi diss. inaug. de rest. mulier. c. 1. §. 12. Hactenus igitur Tutela muliebris & pupillorum coincidunt, quas etiam præsertim Ulpianus conjunxit, quod mulier æque ac pupillus absque Tutore nihil agat, adhuc

bitō autem eō læsa restituatur ; Cæteroquin in eo discrimin in-
gerit Ulpianus idem, qvōd fœminarum Tutores autoritatem tan-
tūm interponerent, non negotia gererent t. u. §. 25. neqve sem-
per omnino, sed postmodo saltem in rebus mancipi §. 27. idqve ex
J. Ctorum interpretatione, ut Cicero in *Orat. pro Murena* autor est.

APH. IV.

Erat & Muliebris aut Testamentaria aut Legitima aut Dativa.
Legitimam, cuius peculiare erat, ut in Jure alteri cedi posset, Lex
Claudia sustinet, Ulp. d. s. II. §. 8. in f. ubi Cujacius sequente Gi-
phanio legit : *sustulit*, Contrà Marcilius, Rævardus ac J. Gotho-
fredus retinenterat non eodem sensu. Marcilius interpretatur, *inhi-
bet*, qvōd inhibeat non omnino, sed mulierum puberum. Ræ-
vardus ediametro contrario sensu explicat per *distrulit* h. e. ultra
pubertatis tempus prorogavit, ut usurpatur in *I. 42. pr. d. nox. act.*
J. Gothofredus itidem per *prorogavit* seu continuavit, sed relato
vocabulo ad cessionem, sc. in Agnatis, ita, ut ipsis alteri in jure ce-
dere eam non amplius liceat, sed continuetur. Omnes impro-
babiliter, ut vel ex affectatâ duritie locutionum colligere est. Cu-
jacii emendationem & Ratio contextus & argumentum *L. 3. C. d.
leg. tut. tuetur*, ubi Constantinus dicitur abrogasse L. Claudiam ite-
rumqve Agnatos ad tutelam vocasse fœminarum. Et abutitur
utiqve *d. l. 3.* Rævardus, dum abrogationem Constantini non ad
legem, cuius Ulpianus meminit, sed aliam respicere contendit, ut
solidè Huberus *3. Digress. 4.* Neqve vero Claudiæ Legi deerat
Ratio statuti contra Juris Veteris autoritatem, scilicet ut onere per-
petuo, cui levando sufficiens remedium media Jurisprudentia per
cessionem non quæsicerat, Agnati liberarentur ; Hinc inquam fa-
ctum, ut L. Claudiæ potestate non tessitia, qvâ re auctæ fuissent
querelæ, sed omnis Legitima tolleretur.

APH. V.

Sublatâ Legitimiâ superfuere Testamentaria & Dativa ; Ne-
qve enim existimandum, vigore L. Claudiæ Mulieres omni tutelæ
exemptas arbitrio rerum suarum fungi ; Saltem, inquam, Agnatis
necessitas obeundæ tutelæ remissa fit. Apulejus, qvem tempo-
ribus

ribus Antoninorum vixisse constat, *Apolog. ad fin.* inducit Cassium Longinum tutorem autorem mulieris; Imò cùm quererentur sive testamento sive à Prætore dati, se ad onus tutelæ compelli dimissis legitimis, ad quos tamen commodum hereditatis pertineret, visumque esset Juri ac dignitati familiarum consonum, tutelis Legitimis potius adhiberi quam ut familiarum Jura atque vires Extraneis exponerentur, *Constantinus M.* abrogatâ L. Claudiâ Jus legitimarum tutelarum in mulieres reduxit constitutione suâ, cuius summa extat in *Cod. Theod. l. 2. d. tut. e. and. In fœminis tutelam legi- timam Consanguineus patruus non recusat*, ubi Maurus inter verba: *Consangvineus patruus interserit vel.* Et rectè, in invito ut ut J. Gothofredo; Scilicet distinxit Ulpianus *t. 26. §. 1.* Consangvineos & Agnatos, &c ad hos retulit patrum, ut sc. quemadmodum utrosq; à tutela liberaverat Clavius, ita Constantinus eidem vicissim subdidisse intelligeretur. Neque quod Rittershusius h̄c secus sentiat, quicquam movet; Certè ex *pr. f. q. m. tut. fin. & l. f. C. qn. tut. desin.* nil concludit, ut rectè Dn. Schilterus *Ex. ad. π. 27. Θ. 238.*

APH. VI.

Sed nec Statuti illius, quod autorem Constantini laudat, vel perpetuus vel saltem non interruptus fuit vigor; Videlicet Legitima tutela uti moribus primū cœpit, ita à Constantino abolitâ L. Claudiâ reducta moribus iterum desit. Enimvero *Leo Imperat. A. C. 469.* Legem Constantini renovaverat. Sed post Leonis tempora denuo Lex Clavia prævaluit, imò contrarii mores totam tandem mulierum tutelam abrogarunt; Etsi præcisè ostendi non queat, quo temporis momento omnis cessaverit. Sed nec *Justinianus* desuetudinem illam ad suam ætatem protractam mutavit, potius ut comprobaret, omisit Constantini Legem & Leonis inseruit Codici suo *l. 3. C. d. leg. tut.* at interpolatam ac ad sua tempora accommodatam h. e. ad pupillarum tutores, quibus tamen nihil unquam dubii subortum fuerat, ut satius fuisset, eam omitti quam mutilato sensu interseri; Sed & in omnibus Veterum Iuctorium locis in *Dig. relatis* in locum tutelæ mulierum adulatum Curatelæ vocem substitui fecit. Atquin autem *in l. 60. ff. d. R. N.* tres illas fœminarum tutelas Tribonianus ingerit; Idque est

est, qvod aduersus eum Rævardus urget ; Verùm numerum illum ibi non tam de tutelis mulierum, qvam in universum de *causâ* excusationis & immunitatis à tutelâ ex numero trium tutelarum jam susceptarum intelligi oportet.

APH. VII.

Jure igitur *Justinianeo* omnis omnino Mulierum tutela exulat, relicto mulieri arbitrio *I. 2. C. ad SC. Vellej.* Etiam nuptæ *I. 6. C. d. rev. donat. I. 12. C. d. pign.* Scilicet in rebus præterdotalibus, qvæ paraphnales audiunt (Nam dotalium dominium sibi Maritus vendicat *I. 30. C. d. Jur. dot.*) Etsi & illarum administrationem marito permittere possit *I. pen. ad L. F. I. 8. C. d. paci. comp.* hactenus, ut etiam non dare & revocare & actiones per alium qvam maritum exercere cautionesqve ab eo repetere queat *I. f. v. ante C. eod.* Sed qvomodo textus in *I. 4. I. 17. C. de excus. tut. jun. I. 2. C. qui dar. tut. & I. 3. C. d. interd. matr.* in qvibus maritus sub poenâ infamiae uxoris Curator fieri prohibetur, concordabunt ? Vi delicit illi ad curam non Mulierum, sed *Minorum* pertinent; Quare tam anxiè cum nonnullis h̄c hærendum non est.

APH. IIIX.

Mirari subeat, qvòd Justinianus Imp. Rei uxoriae valde pronus intentusqve inter beneficia mulierum tutelam, qvam in præsidium sexūs infirmioris Veteres statuerant, qvamqve à vi L. Claudiæ vindicârat Constantinus, non reduxerit; Et verò grave videbatur Cæsari, revocare Jus tutelarum non obstantibus Impp. Legibus ac moribus antiquis oblitteratum. Neqve verò ideo planè mulieres hactenus deserit, qvin potiùs iisdem subvenit, ut contrahat mulier licet absqve Curatore, læsa tamen qvandoqve exemplo Minorum restituatur *I. f. C. d. J. & F. ignor. ubi Dd.*

APH. IX.

Longobardorum, gentis origine Saxonicae, Rex Rotharis circa A. 640. constituit : Nulli mulieri libera sub Regni nostri ditione Lege Longobardorum viventi liceat in suæ potestatis arbitrio i. e. sine mundo (qvod est tutela muliebris v. Voss. d. vit. serm. Lat. 2. c. 12.) vivere.

vivere. Ex qvo nemo non colligit, Jure Longobardico qvicio-
qvid gestum abs muliere solà est, esse ipso Jure nullum.
Facit LandR. l.1. a. 46. ibid gl. Lat. b. Neqve R. Luitprandus
hīc lege suā, qvā actus mulieris in judicio omni tempore
stabiles permanere jubet, qvicqvam mutavit; Qvandoqvidem
uxores & qvidem *consentientibus* maritis agentes supponit, ut
benē & ipsa gl. notavit. Sed nec Rogerius Rex, dum mu-
lieribus non modicē lēsis eo propemodum modo, qvō Impp.
Honorius & Theodosius l.3. C. Theod. d. in int. rest. à Justi-
niano l.8. C. d. in int. rest. min. castratā Restitutionis benefi-
cio subveniendum decernit; Cūm itidem Mundaldorum
sive Curatorum interventum præsupponat, qvemadmodum
hanc Avi sui constitutionem tersè declaravit & ad Judiciales
causas restrinxit Fridericus Imp. Igitur palam est, Mores Teu-
tonicos hactenus respondere Moribus Atticis ac Romanis,
qvos ante recensui; Etsi illorum non idem ubiqve modus
est, nec eadem ratio. Enarrat Legem Saxonum antiquam
Dn. Schilterus Ex. 37. Θ. 241. qvam hīc mitto. Cæteroqvin
Jus Teutonicum mitius est Attico, qvōd necessitatē tutoriæ
autoritatis ad actus Judiciales coarctet relictā mulieri extra
judicium agendi libertate LandR. l. a. 45. Qvanqvam & ubi
eā in sui perniciem abutatur, restituitur; A qvo Communi
Saxonum Jure abludit *Electorale* innuptarum mulierum pote-
statem gerendi negotia sua ad mobilia, qvæ non 500, soli-
dos excedunt, restringens p. 2.c. 15.

APH. X.

Videlicet Jus *Sax.* Commune & Electorale hactenus con-
veniunt, qvōd *utroqve* Jure ea, qvæ in judicio fieri oportet, non
adhibito Curatore sint ipso Jure nulla; Cæterū differunt,
qvōd *Communi* mulieris innuptæ gesta extrajudicialiter abs-
que Curatore de immobilibus etiam subsistant, cūm contrā
Electorali ejusmodi gesta sint ipso Jure irrita, & valeant sal-
tem qvæ circa mobilia acta; Etsi utrobiqve mulier non

B

tan-

tantum cùm absqve Curatore licet agit, sed & ubi in casibus
vetitis eo adscito contrahat, semper restitutionis auxilio gau-
det, ut novissimè Magnif. Dn. Jacobi laud. Diff. In ang. c. 2.
exactum dedit.

APH. XI.

Inquis : Atqvi Constitutionem Saxoniam intelligi o-
portet hactenus saltem, ut mulieri, absqve Curatore contra-
henti læsæ succurratur beneficio restitutorio, non ut illicò con-
tractus ipso Jure ruat, tantoqye magis, qvantò propriùs ita ea
cum Jure Communi Justiniane nec non Saxonico concilietur,
ad qvorum analogiam, qvantum fieri potest, exigi statutaria
jura convenit. Enimverò ita est : Recipiunt Statuta inter-
pretationem, ut ajunt, passivam à Jure Communi ; Neqve
Jus vetus tantum extra Electoratum colitur, sed nec ubivis
locorum eadem necessitate Curator exigitur. Mulieres Fri-
sicæ nec non Pomeranæ liberè agunt, ut Sandius 2. 4. 3. & Me-
vius 5. Dec. 100. n. 3. Et Flandrorum, Frisiorum item moribus
riuptas solas sub curâ maritorum esse sed ita, ut autoritas eo-
rum non ad solennitatem actûs pertineat, tradunt Burgun-
dus idemqve Sandius. Et eccur tandem Dd. Saxonici Mulie-
res hactenus Minoribus comparant ? Certè id pro regulâ
tradi ex Mollero Mevius ait 1. Dec. 135. n. 1. Atqvi autem Mi-
nores remoto Curatore contrahentes restitui saltem Juris est
expediti. Et verò multum utiqve interest, ipso Jure actus vi-
tietur an ope demum exceptionis, præsertim ubi momentum
rei judicatæ tueare. Sed ubi ad verba laud. Constitutionis pe-
nitius respicias, juxta elucet mens, qvam dixi, nullandi.
Infit Serenissimus Legislator : Se Jura communia & Civilia
& Saxonica urgentibus causis hâc in parte ulteriùs productu-
rum, subjicit, qvod contra præscriptam formam geritur, solle
henen Weibs. Personen unschädlich und unnachtheilig seyn/di-
scernit item mobilia ab immobilibus ; Atqvi & in illis Resti-
tutio obtinet, E. frustra distingveret, in qvibus idem reapse
statueret. Argumentum à Minore nil stringit, Minor, in-
qvam,



quam, si Curatorem habeat & eo non utatur, nil agit l. 3. C. d.
rest. min. (qvicqvid Dd. ex l. 101. d. V.O. colligant, cùm præstet
ex clarâ d. l. 3. decisione hanc quæstionem decidere, quam ex
brevi & imperfecto Centone divinando contrarium statuere,) si Curatore, qui invito non dabatur, careat, agit quidem sed
restituitur, uti si habeat & adhibeat l. 3. C. si tut. vel Cur. Et
comparatur Mulier cum Minore non omnimodo, sed hacte-
nus saltem, quod uterque absque Curatore contrahens indemnus
servetur, ut ut non eodem semper modo. Res certa est, nec
quod sciam Adversariis turbatur; Potius eam omnibus unâ
veluti mente ita intellectam ex Wibello d. Contr. mulier. c. 6.
n. 81. arguere possis. Non ergo est, quod in ea hîc multum
laboremus.

APH. XII.

Pertinet vigore laudatae præsertim Constitutionis Cura-
toris autoritas ad supplendam sexûs seqvioris imbecillitatem
atque fragilitatem, ad personam mulieris, ut Nostri loquun-
tur, integrandam & de forma ac substantiali solennitate re-
quiritur. Ita disertè Dd. Saxonici, ex quibus laudasse sat est
Carpzovium. 2. 15. 1. n. 6. Ex qua ratione simul momentum
discriminis ratione modi, quod mulierem ac minorem interest,
cernitur, scilicet quod illa non attento, Curatorem jam tum
habeat nec ne, nihil agat, secus ac minor. Et poterat hæc
Ratio sufficere decidendis quæstionibus fere singulis, quæ hanc
in rem suboriri solent. At licet maximè ab omnibus eam re-
ceptam videoas, tamen non ubique attentam deprehenditur,
quod quidem uberioris non nihil exeqvi operæ pretium est.

APH. XIII.

Et primum quidem, quod inde diducitur, est, Consensum
Curatoris requiri non verum tantum sed & expressum eumque
coram explicatum. Non sufficit factus, sed nec tacitus, immo
nec Epistolâ aut nuntio aut per procuratorem, nec ultimâ vo-
luntate expediri potest; Facit arg. ab autoritate tutoris, quam
expressis verbis interponi oportet, l. 1. S. f. d. tut. Myaf. 2. O. 34.
B2 CZ.

CZ. d. 30. n. 2. Sed quid si vi aut metu, qvi in constantem vi-
rum cadit, extortus sit? Neqve tum valebit qvod actum,
a. l. 1. §. f. d. aut. tut. Etsi alias hanc in rem rescissione præto-
riâ opus est a. l. 21. §. 5. q. m. caus. Si dubitetur, consensus inter-
uenerit nec ne, probabit is, qvi cum muliere contraxit. Est
solennitas Statuti extrinseca, qvæ nec ex temporis diuturnita-
te præsumitur, ut *infra aph.* 18.

APH. XIV.

Alterum est, Curatoris consensum in ipso actu exigi.
Formam actus debere explicari unâ & simul cum actu tralati-
tum. Scilicet sive anticipatus sive ex intervallo additus
consensus nil operatur. Neqve enim ratihabitio retro-
tractionis fictionem porrigit ad ea, qvæ initio sunt ipso Ju-
re nulla, exemplo nuptiarum absqve consensu patris contra-
ctarum, L. 68. d. Jur. dot. & simil. Franzk. 2. q. 5. Unde est,
qvod venditionem mulieris absqve Curatore contractam et-
si postmodo is confirmationi accesserit, irritam Scabini pro-
nuncient apud CZovium 2. 15. 30. Etsi forte apud Frisios,
qvi nuptas duntaxat Maritorum Curâ constringunt, secus
est, ut Sandius 2. t. 4. d. 3. addens, qvod & jam suprà *aph.* 12.
ingeshi, consensum mariti solennitatis causâ non adhiberi,
aliter ac apud Saxones. Planè si ex continentali accedat, pe-
rinde haberi ac si in ipso negotio interposita fuisset, CZo-
vius Scabinorum præjudicio adductô adstruit d. 31. Imò a-
pices Juris Rom. in Foro Germanorum non omnimodo a-
gnitos, sed potius ratihabitionem etiam in actibus ipso Jure
nullis mandato æqviparari disertè tradit Dn. Schilterus Ex. 8.
tb. 39. it. Ex. 10. tb. 21. Id qvod tamen non omnino con-
venit cum iis, qvæ ex Czovio paulò ante adduxi. Neqve vi-
deo, qvî salvâ ratione unanimiter probatâ fieri possit, ut con-
tractus mulieris secutâ confirmatione ejus, qvi ei ante inter-
erat, convalidetur, ut CZovius vult d. 32. Sicuti nec qvod Ber-
lichius Decis. 148. habet, contractum solius Curatoris acce-
dente mulieris consensu invalescere, satis congruit. Certè in
Contractu mulieris non tam Curatoris, cuius autoritas saltem
ut solennitatis pars accedere debet, qvam ipsius mulieris per-
sonam spectari oportet. Taceo, qvod ex Artis Regulis obli-

ga-



gationes ex nostrâ non alterius personâ initium capiant l. n. d.
O. & A. Etsi non diffiteor, alteram sententiam Æqvitate niti,
qvam & potissimum prætendit Berlichius. Saltem sicubi ea
accuratè exigatur, non adeo quadrat.

APH. XV.

Tertium in eo vertitur, consensum nec per æqvipollens
expediri posse; Formam ad ungvem & specificè servandam
clamat Nostri. Itaque non æqvipolle Curatori Filius, ne-
que gener, doctor licet sit uterque; Quemadmodum in Sum-
mo, qvod Tubingæ extat, Dicasterio Wurtembergico visum
fuisse Wibelius testatur c. 6. n. 65. seq. Sed nec contractum in
præsentia fratrum & consangvineorum proximorum celebra-
ri sufficit, secus atque cum Berlichio CZovius d. 18. & Mevius
l. t. 10. a. 1. n. 53. Etsi enim omnis fraus abesse censemur, ta-
men, inquam, non satisfit Legi Statutariæ, qvæ Curatoris ad-
hibitionem pro formâ requirit, ut ipsi dissentientes passim.
Pone patrem ipsum interesse, anne hic defectum supplebit?
Eadem ratio vetat, qvò minus ajas, Ubi itidem dissentire
Nostrates ducto argimento à minori ad majus probabile est.
Imò solennitatem & tum remissam, cùm mulier cum patre
contrahit, ob summam confidentiam, qvam Lex de patre ha-
bet, statuunt cum Veteribus nonnullis iidem CZovius d. 8. &
Mevius l. t. 10. a. 1. n. 48. Etsi Molleris consilio securius agit
mulier, si autore Curatore hactenus contrahat; Secus ta-
men & hic dicendum facile colligas, ut & jam olim Jason sen-
sit & Wibelius tuetur c. 4. n. 188. Quid autem si Autoritas Ju-
dicis interveniat? Neque hæc sufficit, præsertim cùm Ratio
juris non permittat, eundem simul Judicis & partis officio fun-
gi, ut recte Ratibarus ac Colerus. Hinc vix recipi potest
Sandius *Decis. l. 2. t. 4 def. 4.* Judicem ubi maritus vel longe
absit cum Chassanæo, vel nolit ea, qvæ mulier ex re suâ ges-
sit, rata habere, cum Argentræo admittens. Tutius longè
est, deficiente ordinario sive legitimo sive dativo, alium in-
terim ordinari. Videlicet aut necesse est, Rationem, qvam
subinde inculcant Nostri, quamque à Legislatore Saxone in-
tentam verosimile est, mitti aut ei conformari sententias.
Rationem & ab eâ ilico abludentes opiniones tueri implicat.

B 3

Etsi

Etsi eas non omnino improbo, sed æqvas utique, iisque scopum etiam Legis attingi ajo. Qvis enim ambigat, patrem præsertim tam impensè prospecturum mulieri, quam quemcunque extraneum, qvis non potius arctiorem nexum ardentioremque affectum, quem Natura indidit, in Patre præsumat, quam in alio, quem Judex constituit?

APH. XVI.

Quartum quod infertur eò collimat, mulierem contraria facientem in foro conscientiae tutam esse, quæ & communis sententia est teste Tiraqvello, quam ubi admittas, necesse est & id admitti, mulierem ne naturaliter quidem obligari. Viderit igitur Wibelius, qui se hic expedit, dum illud ait c. 6. n. 82. hoc negat c. 5. n. 10. seqq. Certè est ea potestas legis Civilis, ut obligationem, quæ à Naturâ est, urgentibus circumstantiis modo coarctare, modo enervare imò proorsus impedire queat, ut Ant. Merenda i. Controv. 9. adstruit; Est & ea Legis Saxonicae mens, ne quicquam obliget Contractus. Ex quo conjicias, nec fidejussorem teneri hactenus, secus ac Mollerus atque Herringius. Quod verò illi supponunt, mulierem naturaliter obligari, in lite est & negatur. Nec dispar ratio pupilli est ac mulieris; Nam & illius obligationem naturalem, si quæ subest, Lex Positiva urgente aliâ Æquitatis ratione reprobat a. l. 59. d. O. & A. l. 41. d. condit. ind. Alter Berlichius idem sentiens, nec ad palatum. Utcunque autem sic disputes, tamen in usu fori aliud receptum ex CZovio animadvertis, 2. 15. 7. & 2. 18. 8. Enimvero miratur laudatus Juris Saxonici Interpres & Berlichium adductum & Tiraqvellum hic dubitasse. Sed reperias forte in eodem, quod absque injuriâ mireris, dum paulò ante conditionem indebiti, quam omnem excludit Naturalis obligatio, admittit def. 2. Et tamen mihi justior ac ad componendos hanc in rem textus varios accommodatior sententia videtur, in pupillo, sic & muliere obligationi naturali non omnem omnino vim, sed saltē ratione personæ, cujus favorem Lex tuetur, ne ei noceat, detractam, quam suppositâ obligabitur fidejussor. Sed quid si mulier sponte suâ satisfacit, an mortaliter peccat? peccare sunt qui statuant. At iis rectè dicam jam pridem Tiraqvillus scripsit, Est Lex haec ex numero earum, quas informantes dicunt, quæq;



qvæqve nullitatem saltem inferunt, non reatum, qvæqve non cōscientiam afficiunt, sed id saltem intendunt, ut neglecta formâ actus ipso Jure cassum eat. De eo autem ecqvid dicemus, qvi ex contractu inito rem acquisitam tenet, anne internè tutus est? Tum esse idem Tiraqvellus ait. Sed magis est, ut prior hīc Covarruviae neganti existas, cùm destituatur & justo titulo & bona fide, Cujusmodi ad tuendum forum internum utiq; pertinent.

APH. XVII.

Quintò palam est, mulierem formæ à Statuto inductæ renunciare non posse; Videlicet eādem ratione prohibetur renunciare, qvâ contrahere. Sed quid si juret? Jure Civili res clara est, nil valere juramentum *arg. l. 5. C. d. LL. l. f. C. d. non num pcc.* præsertim cum Jus sit publicum totius Sexūs seqvioris favorem attinens, cui nec jurejurando derogari posse expediti Juris est, ut post Vasqvium 3. *Controv. 104.* CZovius 2. 15. 1. Planè Canones religionem Juramenti tuentur Gail. 2. O. 39. Tametsi nec certioratio, qvam alioquin præcisè reqvirunt Dd. Sand. 3. II. 3. antecessit *C. 9. X. d. Jurej.* Et nimis utiq; hactenus sibi indulget Mullerius *Pract. forens. March. Resol. 125. n. 8.*

APH. XVIII.

Sextò & id consequens est, contractum ejusmodi soluto matrimonio non convalescere, ut recte Sandius. *Dec. lib. 2. t. 4. d. 3.* sed nec lapsu temporis decennalis, maximè cùm tempus modus non sit indicendæ obligationis *l. 44. §. 1. d. O. & A.* contractus autem ipso Jure nullus. Neqve, qvem Berlichius aliiqve dissentientes ex *l. 6. §. 3. d. acq. & omitt. hered.* extruunt, consensus fictus seu præsumptus sufficit, cùm verum eumqve expressum reqviri *suprà apb. 13.* traditum sit v. CZ. 2. 15. 5. Nec attinet, qvòd forte ita Florentiæ aliquando judicatum est Jasone teste in *d. l. 6.* Planè tempore longissimo (30. annorum) Nullitati huic præscribitur, qvamdiu Lex Statutaria deest, qvæ eam Regulæ Juris Communis, qvæ est in *l. 3. 4. C. d. præscr. longiss. temp.* subducat.


APH. XIX.

Septimò apparet Remedii inde competentis qualitas. Cùm enim Contractus nullus sit, de Nullitate querelam, qvæ rem ex integro tractat, dari necesse est. Nec refert, utro modo per exceptionem

nem an actionem illa intentetur, modò autore Curatore, qvem' eādem necessitate hīc exigi facilē censeas. Et verò querimonia Mulieri soli competit, non alteri, cum qvo contraxit; Neqve enim Contractus est omnimodo nullus, sed ex personā mulieris tantūm a. l. 13. §. 29. d. act. emt. Faciunt verba Constitutionis Nostrae ad mulieres pressè restricta. Sed an mulieris heredi? Utiqve a. l. 7. C. d. agric. Et Regula, qvæ elicitur ex l. 14. C. d. R. V. supponit actus validos CZ. d. 4. Planè in mutuo, cui accessit hypotheca, id peculiare est, ut non nisi redditā pecuniā fundus ab herede repeti queat p. 2. c. 23. CZ. 2. 15. 4. n. 8. At qvid si juravit mulier? Neqve tūm putem denegandum, cùm Juramenti vis saltem jurantis personam afficiat; Et ita disertè CZovius d. i. in f. ac Philippi ad Decis. 59. O. i. annexo eodem præjudicio. Etsi forte secus est Minore, qui uti ipso Jure obligatur, ita jurejurando se Restitutionis beneficio abdicat Auth. Sacram. pub. C. si adv. vend. conseqventer & heredes CZ. 2. R. 98. circa fin. Et scil. facilius est, vim juramenti super actu summo Jure valido ad heredes porrigi, qvām super eo, qui ipso Jure nullus est. Sanè ut absqve discriminē hereditariam dicamus, vix patitur & personalitas, qvam vocant Jurisjurandi & legis vetantis indoles.

COROLLAR.

Mulierem autore Curatore qvemadmodum omnia alia agere, ita & procuratorem constituere posse quid veiat? Elicitur hāc in re certum argumentum ex L. II. C. de procur. Igitur non Curatore aut Actore solo, contrā qvām multis in foro persuasum, sed utiqve & procuratore uti potest, qui hactenus ab Actore differt, quod pendeat à muliere, cùm contrā Actor à Curatore a. d. I. II. C. d. Proc. Et præstat per Procuratorem qvām Curatorem experiri, cùm mulieri & adversus hunc actionem & alias quoque restitutionis beneficium denegari receptum sit Carpz. 2. 15. 33. Etsi non minus ubi per procuratorem agat, qvām si cum Curatore, restituī eam posse ducto arg: à Minore omnino putem.



05 A 1993

ULB Halle
003 785 602

3



KD 17






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-640115-p0020-6

DFG

Farbkarte #13



Q. D. B. V.

27

**NECESSITATEM CU-
RATORIS IN ACTIS
MULIERUM,**


Sub PRÆSIDIO

**DN.JO.HENRICI BERGERI,
JCTi&Antecessoris,CuriæElectoralis,
Scabinatûs & Facult. Juridicæ, Judicii;
Ducalis, qvod in Lusatiâ inferiore
est, Assessoris**

**D. XXI. April. MDC LXXXVI.
publicè exhibet**

**GIDEON SIEGEL,
Eybenstochio - M.**

AUTOR.



**WITTENBERGÆ,
FORMIS MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.
ANNO CLX LXXXVI.**

